
Scholia in Aeschlyi Persas (Latin Edition)

Dähnhardt Oskar

Title: Scholia in Aeschlyi Persas (Latin Edition)


Author: Dähnhardt Oskar

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.



1/12/2019





SCHOLIA
IN AESCHYLI PERSAS.

RECENSUIT, APPARATU CRITICO INSTRUXIT,
CUM PRAEFATIONE
DE ARCHETypo CODICUM AESCHYLI SCRIPTA

EDIDIT


OSCARUS DÄHNHARDT.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCLXXXIV.

LIPSIÆ: TYPIS B. G. TEUBNERI.

SCHOLIA
IN AESCHYLI PERSAS.



PRAEFATIO.

Ad Aeschylī fabulas recensendas quibus libris manu scriptis fides et auctoritas adiungenda sit, quaestio gravissima est. Quae quantum ad Oresteam et Supplices spectat cum iam ita disceptata sit, ut codicem Mediceum unum artis criticae adiumentum esse constet — exceptis nimirum versibus qui foliis amissis interierunt —: de eis qui Promethei Septem Persarum fabulas tantum complectuntur libris nondum diiudicatum est. Sunt enim, qui eos e cod. M pendere statuerint, sunt, qui adversentur.

Atque ut paucis hac de controversia loquar, primus Georgius Burgesius in adn. ad Suppl. (a. 1821 Lond. ed.) p. 41 nullis prolatis argumentis contendit 'ex libro Med. ceu fonte derivari ceteros omnes libros manuscriptos in bibliotheca qualibet adservatos'. Eandem sententiam protulit Cobetus in orationis, quam de arte interpretandi habuit Lugduni Batavorum a. 1846, appendicis p. 103. Sed ne ille quidem exemplis usus est. Tamen Dindorfius in editionibus Aeschylī solam Medicei libri memoriam respexit. Contra Godofredus Hermannus in editione anni 1853 multas adnotavit librorum recentiorum lectiones varias. Ritschelius autem in praef. prioris Septem fabulae editionis (Elberf. a. 1853 factae) dixit: codicem M

unum et communem esse fontem ceterorum se vereri, ut posset probabiliter demonstrari. Tum Medicei partes acrius defendit Dindorfius commentatione illa, qua omnium Aeschyli librorum originem e Mediceo ductam esse comprobabat (in Philol. vol. XVIII p. 55—93). Adversarius extitit Heimsoethius, cum in libro qui inscribitur 'die indirecte überlieferung des aeschyleischen textes' p. 5—8 codicem Vindobonensem no. 197 non ex M fluxisse affirmaret. Idem ne in ceteris quidem scriptis, quae suo loco laudabo, recc. codd. neglexit. Cuius sententiae faverunt Wecklinius in curis Aeschyleis (a. 1872 editis) p. 60 et Ritschelius, qui in praef. alterius Septem fabulae editionis (Lipsiae a. 1875 factae) p. VI haec scripsit: 'neque enim hodie dubitari posse videtur, quin ex uno aliquo archetypo antiquiore cum Med. tum etiam alter quidam eiusdem vel supparis aetatis liber transcriptus sit nunc deperditus, ut illi persimilis, ita non prorsus par, ad hunc autem alterum recentiorum multitudo apographorum fere redeat.' Ipse autem unum Mediceum ad editionem adhibuit. Sed Kirchhoffio, ut ait in praef. editionis (a. 1880), extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur exempla recentiora ad unum omnia a cod. Med. derivata esse. Tum Martinus Sorofius dissertatione ea, quae est 'de ratione, quae inter eos codices recentiores, quibus Aeschyli fabulae Prometheus, Septem adv. Thebas, Persae continentur, et codicem Laurentianum intercedat' (Berol. a. 1882 edita) probare studuit omnes codd. recc. ex uno libro a Med. diverso profectos, illum autem — quem littera A insignivit — ex ipso Mediceo descriptum

esse. Proximo anno 'de Promethei Septem Persarum Aeschyli fabularum codicibus recentioribus' Adolfus Reuterus dissertationem publici iuris fecit (Cervimontii), qua Dindorfii et Sorofii argumenta refellens ex eodem archetypo codd. A et M manasse demonstravit.

Tamen quam res incerta etiamnunc sit, inde apparet, quod Wecklinius nuper in praef. edit. Aeschyli p. VIII declaravit: 'De qua re quamquam multi in utramque partem disputaverunt et ego ipse quondam (in curis Aeschyleis 1872 editis) statuebam esse, quae ex libris deterioribus peti possent in libro Mediceo omissa, tamen in dies magis ab ea opinione deductus sum et postremo cum omnia perquirerem nihil inveni, quod sententiae Burgesianae adversaretur, permulta, quae suffragarentur, mihiq̄ persuasi, quod post Cobetum imprimis Dindorfius obtinuit, omnes bonas ceterorum librorum lectiones e felici coniectura grammaticorum repetendas esse, siquidem nulla est, quae non quotidie a quovis grammatico mediocriter docto inveniri possit.'

Quoniam igitur Reuteri ratio non idonea videtur, quae viris doctis persuadeat, aliam ingrediendam mihi esse viam intellexi.

Atque primum quidem demonstrabo Persarum fabulae textum, qualis in illo cod. Vindobonensi (no. 197) extet, non e textu Mediceo manavisse, sed utrumque a communi origine profectum esse. Quod autem ceterorum quoque codicum recentiorum lectiones respexi, quantum e Godofredi Hermanni commentario et ex meis collationibus eas cognovi, apparebit nonnullos libros, quippe qui consentiant cum Vind., ex